

TITULUS XIX.

DE USURIS. ^a

115. Cùm usura sit filia mutui, et de hoc in jure Canonico nullus specialis titulus habeatur, non erit inconveniens priùs de mutuo, deinde de usuris tractare.

§. I.

De Mutuo.

116. Nota mutuum *objectivè* accipi pro ipsa re mutuo data; *effectivè* seu *consecutivè* pro jure et obligatione ex mutuo descendentibus. *Formaliter* verò pro contractu; qua ultima acceptione mutuum est, contractus realis stricti juris, quo res fungibilis in alterum transfertur ea conditione, ut res ejusdem generis, quantitatis et qualitatis seu bonitatis restituatur: ità in re comm. ex l. 2. §. 1. *ff. de rebus credit.* Dicitur:—1.º *Realis*, quia mutuum non contrahitur, nisi ex traditione rei.—2.º *Stricti juris*, quia, cùm mutuum §. 28. *Inst. de action.* non numeretur inter contractus bonæ fidei, sequitur illud esse stricti juris, ut iudex secundum terminos conventionis teneatur judicare.—3.º *Res fungibilis*, seu usu consumptibilis; cujusmodi sunt res *pondere, numero et mensura* constantes, ut lana, pecunia, vinum, oleum etc.; oves tamen, boves, equi et similia animalia non constituunt materiam mutui, cùm eorum usus non consistat in abusu (l. 68. §. *fin. ff. de usufr.*)—4.º *Ut res ejusdem generis* etc., nam obligatio mutuatarii est, non ut restituat eandem *speciem*, seu philosophicè loquendo, *idem corpus individuum*, sed idem genus seu rem similem in eadem quantitate et qualitate: ut triticum pro tritico, vinum pro vino, lanam pro lana etc., ità ut tantum et tam bonum restituatur, quantum et quàm bonum mutuo datum fuit. In pecunia id speciale est, quod non attendatur corpus seu materia, sed valor publicus et æstimatio, ut dixi

^a—Agitur de hac materia in Sexto, et Clem. h. t.—In Decreto dist. 46. et 44. q. 56.—In Pandectis lib. 22. tit. 1.—In Codice lib. 4. tit. 32.—De mutuo agitur in Institution. lib. 3. tit. 13. *princ.*—In Pandectis lib. 12. tit. 1.—In Codice lib. 4. tit. 1. 2.—Nov. 106. 110. 121. 136.

libr. 3. tit. de censib. Ex his discrimen habes mutui à commodato, locato, deposito, in quibus dominium rei non transfertur in accipientem, sed idem corpus seu individuum rei restitui debet: secus est in mutuo.

117. Q. I. *Qui possint mutuum dare?*

R. 1.º Omnes liberam rerum administrationem habentes, nisi specialiter prohibeantur; nam contrahere est libertatis. Unde etiam servus et filiusfamilias pecuniam peculiarem, et fur pecuniam ex re furtiva redactam mutuum dare potest (l. 7. *ff. de R. C.*), quia licèt furtiva fuerit, tamen pecunia inde redacta non est furtiva. Prohibentur autem mutuum dare:—I. Pupilli et minores sine auctoritate tutoris et curatoris (l. 12. et 19. *cod.*)—II. Filiusfamilias rem patris, et servus rem domini (l. 11. *in fin. cod.*)—III. Præsides provinciarum (l. 33. *cod.*), quia negotiatio eis prohibetur. Denique omnes illi, quibus pacisci et contrahere prohibitum est à natura vel jure.

2.º Si mutuum bona fide acceptum est à persona inhabili, et bona fide consumptum, mutuum convalescit, et pecunia seu res consumptione acquiritur accipienti: ità comm. Exempla habes in l. 12. 13. 19. *ff. de R. C.*, ubi mutuum à furioso, servo, pupillo datum convalescit consumptione bona fide facta. Quod etiam procedit in solutionibus et liberationibus: ut si debitor alienam pecuniam dedit, et creditor eam bona fide consumpsit: tunc enim consumptione facit suam (l. 78. et 94. *ff. de solution.*)

3.º Fictioe juris censetur mutuum dedisse:—I. Qui dedit speciem seu corpus, v. g. poculum aureum, ut ex ejus distractione pecunia esset mutua (l. 11. *pr. ff. de R. C.*), licèt de rigore juris non esse mutuum dicat Africanus (lib. 34. *ff. mandati.*)—II. Qui pecuniam sibi debitam jussit ab altero accipere, quasi sibi cessam in mutuum (*cit. lib. 34.*), quia delegans debitorem, videtur mutuum dare, et per fictionem brevis manus tradere (lib. 18. *ff. de fidejussor.* et l. 15. *ff. de R. C.*)—III. Qui deposita pecunia permittit uti depositarium (l. 9. §. *fin. cod.*), quia hic consensus vim habet traditionis (*arg. §. 44. in de rer. divis.*)—IV. Qui suam pecuniam dat nomine tertii absentis et ignorantis, v. g. Titius nomine Caji credit pecuniam Sticho: quo casu Caju fingitur pecuniam credidisse (l. 9 §. 8. *ff. de R. C.*): quamvis enim alteri per alterum obligatio non acquiratur actu civili, uti est stipulatio (l. 38. §. 17. *ff. de V. O.* et §. 5. *In. per quas pers.*), adquiri tamen potest actu naturali, uti est mutuum (l. 126. §. 2. *ff. de V. O. l. 3. C. per quas person. l. 6. C. de condict. indeb.*) A fortiori id procedit, si quis pecuniam nostram nomine nostro det mutuum (l. 4. *C. si cert. petat.*)

118. Q. II. *Qui, et quomodo obligentur ex mutuo?*

R. 1.º Omnes obligantur et tenentur conditione certi aut incerti, qui ex contractu obligari possunt. Hinc pupilli sine auctoritate tutoris non obligantur, nisi facti sint locupletiores (l. 3. *pr. ff. commodat.*) Dominus ex mutuo servi aut procuratoris non obligatur, nisi voluntate domini censetur mutuum acceptum: ut si dominus mandatum

dedit, si servum negotiationi, vel pecuniis fœnerandis et accipiendis præposuit.

2.^o Collegium seu universitas, v. g. civitas, Ecclesia, monasterium non aliter obligatur ex mutuo per administratores accepto, nisi probetur in utilitatem ejus conversum fuisse (*lib. 27. ff. de R. C.*), ne scilicet Ecclesia per fraudem et iniquitatem administratorum lædatur, et ære alieno gravetur. Nec sufficit, quòd mutuum acceptum sit cum consilio, et consensu seniorum, vel quòd in instrumento exprimatur causa necessitatis et utilitatis; nam hæc omnia fraudibus subsunt in gravamine communitatis, et senioribus nullo jure permissum est disponere circa res et gravamina communitatis. Secus esset si adesset consensus totius civitatis, capituli aut monasterii, saltèm capitulariter à majori parte datus: tunc enim communitas ex mutuo accepto censetur obligata (*c. pen. de fidejussor.*) Porro in casu priori, cùm communitas intentionem suam habeat fundatam in jure, onus probandi mutuum fuisse conversum in utilitatem communitatis, incumbit creditori tamquam actori (*l. un. Cod. de solut. et liber. debit. civil. libr. 12. et Aulh. hoc. jus in fin. Cod. de SS. Eccles.*)

3.^o Filiusfam. ex pecunia mutuo accepta mero jure obligatur: ità comm. eorum, qui non tantùm benè sentiunt, sed etiam benè loquuntur: licèt aliqui non penetrata natura obligationis et exceptionis, perperàm dicant filiumfam. nullo modo obligari. Nam exceptio juris propriè talis, supponit obligationem et actionem, cujus est elisio (*princ. Inst. de except.*) Sed filiofam. contra fœneratorem competit exceptio Scti. Macedoniani (*l. 1. 9. §. 4. ff. de Scto. Maced.*); ergò filiusfam. ex mutua pecunia est mero jure obligatus. Tum quia Sctum. hanc obligationem non tollit, sed expressè asserit (*lib. 10. eod. quia naturalis obligatio manet.*) Neque necesse fuit eam tollere, quia stante tali obligatione, finis totius Scti. obtinetur.

Dices: *L. 1. eod.* Negatur actio creditori seu fœneratori; ergò nulla est obligatio in filiosfamilias.

R. Actionem negari non ideo, quia mero jure non competit, sed quia ei obstat notoria exceptio Scti. Macedoniani.

4.^o Filiofamilias, ejus patri et fidejussori, competit exceptio perpetua Scti. Maced. ad hoc præcisè, ne teneantur solvere mutuam pecuniam à filiofamilias acceptam: ità *lib. 1. d. t.* Ratio hujus saluberrimi Scti. fuit, ne filiorum mores per pecuniam et luxum depravarentur in maximum detrimentum reipublicæ et desolationem parentum, et ne filii ære alieno gravati optarent mortem parentum, eorumque vitæ insidiarentur, ut à contractis debitis liberarentur.

Quæ rationes cùm concernant bonum publicum et favorem tertii seu parentum, suadent, quòd filiusfam. neque juramento renunciare possit huic Scto. Maced. ex doctrina *cap. 28. de jurej. c. 2. de pact. in 6. et reg. 58. in 6.*: Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum. Idem suadent, quòd exceptio ista Scti. Maced. prosit non tantùm in foro externo, sed etiam interno; quia secus non obtine-

retur finis Scti, cùm eadem mala perseverarent. Porro hoc SC. introductum est in odium fœneratorum; et ideo nomen accepit à celebri fœneratore Macedone, licèt alii nomen hoc derivent à quodam Juvene macedone, qui ære alieno gravatus, et longam patris vitam pertæsus, eundem occidit.

5.^o Sctum. Macedon. cessat in casibus expressis *lib. 2. 3. d. tit.*, ut si filiusfam. pro castrensi peculio pecuniam petiit, si patremfam. eo finxit, si alium contractum inivit, ut venditionis, locationis, mutui aliarum rerum præter pecuniam etc., nisi id fieret in fraudem Scti., ut si fœnerator triticum venderet, ut ex eo mox vendito filiusfam. numeratam pecuniam haberet etc.—II. Cessat, si filius emancipatus, vel pater debitum solvit: ità ut solutum repetere non possint (*l. 9. §. 5. d. t.*), tum quia Sctum. factum est ad non solvendum, non verò ad solutum repetendum: tum quia obligationem mutui non sustulit, neque fœneratores punire voluit repetitione soluti: tum quia facta solutione cessat finis Scti., scil. depravatio morum et insidiæ vitæ paternæ. Si tamen filius in patria potestate constitutus solvit, pater solutum repetere potest, si nummi extent (*lib. 9. §. 1. hoc tit.*): secus si bona fide à creditore consumpti sint (*lib. 14. ff. de R. C.*) Si tandem pater solvere incepit, tenetur integrum debitum solvere, quia censetur debitum filii approbasse (*l. 7. §. 15. ff. et l. 2. C. ad SC. Maced.*)

§. II.

De Crimine usuræ.

119. *Nota I.* Usuræ nomine significari usum, et quandoque fructum ex te proveniente: sed in jure usura propriè objectivè sumpta est: *lucrum ultra sortem seu quantitatem mutui*, et formaliter sumpta est: *conventio de lucro dando ultra sortem præcisè ex vi et causa mutui*, sive lucrum istud consistat in pecunia, sive in alia re pretio æstimabili; ut vino, labore, obsequio etc.

Nota II. Usuram dividi:—1.^o In *compensatoriam*, *moratoriam* et *lucratoriam*. Compensatoria est illud lucrum, quod accipitur in compensationem ejus, quod nobis abest, putà ratione lucri cessantis, damni emergentis, expensarum, periculi in amittenda sorte etc. Moratoria seu punitoria, est illud lucrum, quod accipitur per modum pœnæ conventionalis ob moram culpabilem in solvendo commissam. Lucratoria est, lucrum ultra sortem præcisè ex causa mutui. Et hæc est propriè usura, non verò duæ priores, quia non proveniunt ex titulo seu causa mutui, sed ex aliis causis.—2.^o In *internam*, quæ in sola mente consummatur: et *externam*, quæ prodit in opus exterius.—3.^o In *mentalem*, *conventionalem*, et *realem*. ad similitudinem simoniæ.

Mentalis est, dum ex mutuo dato intenditur aliquod lucrum ex justitia dandum; attamen sine prævio pacto. Conventionalis est, dum prævio pacto petitur aliquid ultra sortem mutui: et si hoc lucrum reipsa detur, est usura *realis et completa*.—4.º In *expressam* seu formalem, quæ fit disertis verbis: et *tacitam* seu virtualem, quæ fit pacto implicito in factis aut verbis relucente. Vocatur *palliata*, ut si mercem constantem 90, vendas 100 ob dilationem pretii intra annum; vel si dicas: do tibi centum mutuos, confidens eos vacuos non redituros.

Nota III. Varios assignari titulos aliquid petendi ultra sortem, uti est titulus lucri cessantis, damni emergentis, periculum sortis amittendæ, si sit extraordinarium et proximum: assecuratio seu periculum sortis à creditore susceptum, mora culpabilis. Item obligatio non petendi ad certum tempus, labor numerandi pecuniam etc.

120. Q. I. *An usura ex genere suo sint mala et illicita?*

R. Affirmativè: ita catholici cum S. Thom. 2. 2. *quæst.* 78. *art.* 1.; nam inspecta rerum natura, illicitum est capere lucrum ex re aliena: ut si ex horto vendito aut permutato lucrum habere velis; sed in mutuo res fit aliena, scil. mutuatarii: ergò ex tali re illicitum est lucrum capere. Tum quia vendere id, quod non est, ex genere et natura sua est illicitum; sed in mutuo usurario venditur id, quod non est, scil. usus rei fungibilis, qui tamen non est distinctus ab abusu, cum non possimus uti, v. g. vino aut pecunia, quin abutamur; ergò. Tum denique quia contractus, in quo deficit æqualitas, ex natura sua est illicitus; sed in mutuo usurario deficit æqualitas, nam creditor dat, v. g. centum cum potestate abutendi seu consumendi rem fungibilem; mutuatarius verò præter centum cum simili potestate abutendi reddere debet quinque, sex vel decem, qui excessus ponit inæqualitatem dati et recepti; ergò. Ex quo patet, usuras ex natura sua seu de jure naturali, secluso omni jure positivo, esse illicitas; adeoque omni hominum generi prohibitas.—Jam conformiter juri naturali usura prohibentur *jure divino*. Deuter. 23. v. 19: *Non fenerabis fratri tuo ad usuram pecuniam*; Exod. 22. vers. 25., Ezech. 18. v. 20. etc., Luc. 6. vers. 35. *Mutuum date, nihil inde sperantes*: et ideo Alex. III. *cap.* 3. 4. *hoc tit.*, dixit usuras esse condemnatas utriusque testamenti pagina. Nam licet *mutuum dare* sit consilii, tamen si datum fuit, est præcepti, ut nihil inde speretur, hoc est, ex justitia accipiatur (S. Thom. *c. ad 4.*)—Prohibentur etiam usurae *jure Can.*, ut *Can.* 43. *Apost.*, *Can.* 18. *Conc. Nicæn.*, *Can.* 1. et *seqq.* 14. *q.* 3. et *toto hoc tit.* Unde in *Clem. unic.* §. *fin. hoc tit.* dicitur tamquam hæreticus puniendus, qui pertinaciter affirmare præsumperit, exercere usuras, non esse peccatum.—De *jure civili*, licet usurae toleratae fuerint ad majora mala præcavenda, nullibi tamen positivè approbantur, ut licitæ, sed potius condemnantur à Justin. *Nov.* 131. *c.* 1., ubi jubet regulas seu Canones IV. Concil. observari: constat autem *Can.* 18. *Conc. Nicæni* prohiberi usuras, ut refertur *Can.* 2. *d.* 47. et Carol. V. an. 1530, expressè in sua constitutione prohibet usuras.

Dices:—I. Pro usu vasis aurei potest pecunia accipi; ergò etiam pro usu seu jure utendi pecunia.—II. Pecunia et opera hominis æquiparantur (*l.* 5. §. 1. *ff. pro socio*); sed pro opera hominis potest lucrum exigì; ergò etiam pro usu pecuniæ.

R. N. C. Nam usus vasis est distinctus et separatus à corpore seu substantia vasis; et cum sit prætio æstimabilis, pecunia locari potest; econtrà usus pecuniæ est ejusdem abusus, neque separatur à dominio, et consequenter ob inæqualitatem et injustitiam nihil peti potest pro usu pecuniæ, nisi per accidens pecunia locetur, v. g. ad ostentationem, delectationem oculorum, pompam et splendorem, ut eadem numero pecunia restituatur. Quo casu, cum non celebretur mutuum, sed locatio, conductio, neque usus consistat in abusu, nihil prohibet aliquid accipi pro locato usu pecuniæ, utpotè suo domino fructificantis (S. Thom. *loc. cit. ad 5.*)—*Ad II.* Pecunia et opera hominis secundum quid æquiparantur in ordine ad contractum societatis, ubi lucra negotiationis et damna sunt communia: at in mutuo, ubi idem genus restituitur, non est æquiparatio, quia opera hominis ex se est frugifera, non verò pecunia, cum præter naturam sit, ut nummus nummum pariat (Arist. 1. *Polit. cap.* 7.) Ceterum, quæ hic objici solent, ex dicendis solvantur, et jam soluta sunt à S. D. *loc. cit. art.* 1. et 2. et apud Cajet. *ibid.*

2.º Usura censetur comitti in seqq. casibus:—I. Quotiescumque mutuatario imponitur extranea obligatio justitiæ ad aliquid dandum vel faciendum: v. g. ut ratione mutui aliquid pendat ultra sortem, obsequia præstet, injuriam, debitum vel aliam obligationem remittat, preces, intercessionem interponat, officium vel beneficium procuret, si in futurum obligatus mutuum dare etc.; nam hæc omnia sunt pretio æstimabilia, et ultra sortem exiguntur. Econtrà non est usura, si à petente mutuum petas de præsentis aliud mutuum, et sub conditione hujus dare velis mutuum; nam hic nulla obligatio mutuatario imponitur, sed præcisè unum beneficium mutui offertur alteri, si et iste simile beneficium vult præstare. Secus esset, si daretur mutuum, ut alter suo tempore obligatus foret aliud mutuum dare: hic enim nova obligatio ei imponeretur.—II. Si creditor ratione mutui petit aliquid determinatum ex gratitudine et benevolentia præstandum, est usura, et oppositam propositionem num. 42 damnavit Innoc. XI. Nam tali casu alteratur obligatio gratitudinis, quæ indeterminata est et transit in obligationem justitiæ, ut in simili casu dixit *tit. de Simon.* At si quid sine ullo pacto offerretur ex obligatione purè antidotali, vel si creditor sub sola spe aliquid obtinendi vel conciliandi sibi benevolentiam mutuatarii, eidem daret mutuum, nulla esset usura; quia nullum gravamen justitiæ imponeretur mutuatario.

121. Q. II. *An usura possint ex certis causis cohonestari, ut sint licite?*

Quæstio ista non procedit de usuris formaliter talibus, quæ nunquam cohonestari possunt; quia peccatum ut tale, nunquam potest

esse honestum; sed procedit de usuris materialiter spectatis, an scilicet materia usurarum subduci possit à præcepto naturali non fœnerandi, ità ut ab eo subducta possit esse materia, seu objectum actus boni et liciti: quo sensu solemus loqui de cohonestatione furti, homicidii, fornicationis etc., et in hoc sensu

R. 1.^o Affirmativè; nam materia usurarum non est ita intrinsecè mala, sicut materia mendacii, hæresis etc., ut in nullo casu variari possit; sed cum subest dominio divino et variis circumstantiis, ità purificari potest, ut id, quod supra sortem accipitur, justè et licitè accipiat, ut patebit ex dicendis; ergò.

2.^o Usura cohonestatur, si Deus det jus petendi et accipiendi aliquid ultra sortem; nam Deus, cum sit dominus omnium, potest ex bonis alienis alteri aliquid attribuere; ergò et illud lucrum ultra sortem mutui. Hoc modo usuræ, quas hebræi à gentibus exigebant, dicuntur fuisse licitæ, quia hebræi ex voluntate divina lucra ista, tanquam res sibi debitas vindicabant; *Can. fin. 14. q. 4. et Can. 12. dixit 14. q. 5. S. D. tamen dicit usuras istas fuisse solum permissas, non verò licitas (2. 2. q. 78. a. 1. ad 3.)*

3.^o Usuræ moratoriae seu punitoriae, sunt licitæ ex conventionem, dummodò sint moderatæ, et mora fuerit culpabilis in solvendo, præfixo termino competenti: ità com. DD. Nam exactio pœnæ conventionalis propter moram culpabilem utroque jure approbatur in contractibus (*l. 14. C. de pactis, lib. 23. ff. de O. et A., l. 13. §. 26. ff. de action. empt. lib. 15. C. h. t. et c. 4. et 9. de Arbit.*); ergò in mutuo; cum lucrum hoc pœnale non exigatur ratione mutui, sed ratione moræ culpabilis.—His non obstat *l. 44. ff. de usuris et fruct., l. 15. C. h. t. et Can. 11. fraternitas 12. q. 2. et Can. 1. 4. 5. 8. caus. 14. quest. 4.* Nam jura civ. loquuntur de pœna excessiva: Canones verò clericis prohibent pœnalia lucra ob indecentiam, ne videantur lucris turpibus inhiare.

4.^o Usuræ compensatoriae sunt licitæ:

I. *Ex titulo damni emergentis* (S. D. *l. c. a. 2. ad 1.*), seu ratione jacturæ, quam patitur creditor ex mutuo dato: ut si nequeat ædes ruinosas reficere, si cogatur postea frumentum aut vinum carius emere, vel aliunde mutuum accipere cum usuris; nam damnum suum quilibet licitè vitare potest; ergò si creditor ex mutuo damnum patiatur, illius compensationem petere potest, dummodò super tali damno pactum liberum præcesserit, et mutuum sit causa hujus damni.

II. *Ex titulo lucri cessantis* pro quantitate spei consequendi lucrum; nam creditoris interest, ne tempore illo, pro quo mutuum dedit, suo lucro quaerendo privetur; ergò loco lucri cessantis aliquid peti potest, ut insinuat Jctus. *l. 60. ff. pro socio*, dummodò spes certa vel probabilis lucri manifestetur mutuuario, et mutuum sit causa, cur cesset negotiatio et lucrum moraliter præsens: secùs si lucrum planè sit incertum (S. D. *cit. a. 2. ad 1.*)

III. *Ex titulo periculi* amittendæ sortis, si periculum sit extraordinarium et proximum, nisi aliunde caveatur de sorte: ità Sylv., Reiff. cum citt. contra Nav., Sot., Wading. et alios. Nam tale periculum, quod creditor subit, est pretio æstimabile, sicut in fidejussione (*l. 19. §. 1. ff. de donat.*), et in casum, quo res tempore solutionis minus sit valitura (*l. 5. princ. ff. de naut. fœn. c. 6. h. t.*); ergò ratione hujus periculi licet aliquid ultra sortem petere. Favet huic sententiæ S. D. *Opus 73. de usur. quest. 10.*, et ità videntur excusati mercatores à peccato, qui aliquanto pluris vendunt merces in creditum illis personis, à quibus vix aliquid accipiendum prudenter timent; atque ità exponunt se periculo amittendæ sortis, seu justis pretii.—Nec obstat *c. 6. h. t.*; nam in priori parte damnatur conventio plus petendi ob dilatam solutionem; non verò ob periculum amittendæ sortis.

IV. *Ex titulo assecurationis*, dum creditor in se suscipit periculum pecuniæ, v. g. per mare trajiciendæ, ità ut si deperdita fuerit, debitor ad nihil teneatur: si verò salva ad locum conventum pervenit, aliquid pro magnitudine periculi ultra sortem tribuatur (S. D. *Opusc. 73. de Usur. q. 9.*); nam hic duo sunt contractus: *mutui*, ex quo nihil petitur, et contractus *assecurationis*, quo creditor in se suscipit periculum sortis: hæc autem assecuratio, quam gratis nemo tenetur præstare, est pretio æstimabilis; ergò ratione ejus aliquid peti potest. Unde jure civili approbatur *nauticum fœnus tit. ff. et C. de nautico fœnore*; et quamvis jura loquantur de periculo marino, tamen ob identitatem rationis intelligenda etiam sunt de periculo terrestri, si creditor in se suscipiat periculum pecuniæ vel alterius rei mutuae per loca periculosa deferendæ.—His non obstat, *cap. fin. h. t.*; nam multi Interpretes legunt negativè: *usurarius non est censendus*; aliàs Papa non fuisset usus particula conjunctiva *ille quoque*, sed adversativa *ille verò*, vel *eccontrà ille*; præsertim cum in isto capitulo agi videatur de his, qui excusantur ab usura. Vel dic, textum istum procedere in casu, quo non adest probabile periculum amittendæ sortis, sicut in segura navigatione vel itinere ad nundinas; vel si creditor non aliter velit mutuum dare, nisi cum pacto assecurationis, ut exinde aliquid ultra sortem accipiat; et tunc saltè in foro externo censendus est usurarius, quia novum gravamen imponit invito mutuuario (Fagnan., Engl., Reiff. etc.)

V. *Ex titulo venditionis justæ* mutuo immistæ non committitur usura:—1.^o Si prævidetur pretium rei diminuendum, conveniri potest, ut restitutio fiat secundum præsentem æstimationem: v. g. do tibi tres modios tritici, quorum singuli valent duobus florenis, ut restituas certo tempore 6 modios, quorum singuli valebunt uno floreno, vel sex florenos solvas; nam hic formaliter plus non datur, sed idem secundum valorem æstimationis: et ideo si valor unius modii cresceret ad tres florenos, mutuarius non teneretur dare nisi duos modios, vel sex florenos.—2.^o Si non prævidebatur pretium augendum vel minuendum, secluso alio pacto, restitutio mutui fieri debet

in natura secundum idem genus, quantitatem et qualitatem, ut vinum pro vino, avena pro avena, sive pretium crescat, sive decrescat: hoc enim fit secundum naturam mutui, excepta pecunia, in qua per se solus valor attenditur, non materia seu corpus.—3.º Si verò prævidebatur pretium diminuendum, damnum est creditoris, qui excessum pretii censetur condonare, cum aliter pacto æstimatorio sibi non providerit. Si tandem prævideatur pretium augendum, regulariter mutuarius liber est à damno, et restituet secundum publicam æstimationem, v. g. tres modios valentes sex florenis pro sex modiis, qui tempore initi mutui sex florenis valuerunt, nisi pactum de eadem quantitate restituenda intervenisset. Cum ergò casus isti sæpius lites pariant, optimum erit, ut mutuum celebretur cum pacto venditionis secundum præsentem valorem, quia hoc modo neutri contrahendi fit injuria.

VI. *Ex titulo dilate solutionis*, dum quis obligat se ad non repetendum debitum intra certum terminum, v. g. intra unum vel plures annos, nihil citra usuram accipi potest; ita comm. DD. Nam dilatio solutionis, et obligatio non repetendi debitum intra certum terminum, est intrinseca et essentialis mutuo ut tali, seu hoc modo celebrato; sed ratione mutui nihil citra usuram peti potest; ergò nec ratione dilate solutionis. Tum quia, secluso alio titulo, pecunia in præfixo termino numeranda tantum valet, quantum præsens numerata pecunia; ergò si quid ultra exigatur, ponitur inæqualitas et usura, ut patet ex opposita sententia ab Innoc. XI. damnata num. 41. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor ultra sortem aliquid à mutuuario exigere, et eo titulo ab usura excusari.* Et quamvis illa obligatio non repetendi intra certum tempus esset pretio æstimabilis, tamen abundè compensatur per hoc, quod pecunia interim pereat, mutuuario perit. Unde:—1.º Qui vendit mercem 110, quæ valet 100 ob dilatam solutionem annuam, vel qui anticipatè emit mercem 90, quæ tempore traditionis valeat 100, committit usuram sub contractu venditionis emptionis palliatam.—2.º Qui dat triticum antiquum deterius, ut detur novum melius, vel qui dat vinum in autumno, ut antiquius restituatur in vere, vel detur tantum pretium, quantum est in vere, et generaliter qui dat mutuum, ut restituatur plus, vel melius, vel carius, non excusatur ab usura, cum aliquid ultra sortem accipiat. (a)

122. Q. III. *An modus usuris à Justiniano lib. 26. hoc tit. præscriptus, sit licitus?*

Nota in citato loco determinari usuras:—1.º Centesimas, quæ intra

(a) Circa quæstionem: *utrum lex civilis sit justus titulus aliquid exigendi supra sortem*, videantur T. T. Moralistæ, præsertim Scavini, Tract. VI. disp. III. diss. II. cap. II. art. V. q. 5.

centum menses seu octo annos et quatuor menses adæquant sortem, danturque 12 pro 100 in trajectitia pecunia, seu nautico fænore.—2.º *Bessales*, seu centesimæ quinquagesimæ, quæ intra 150 menses seu duodecim annos et sex menses æquant sortem, danturque 8 pro 100, et hæ mercatoribus permittuntur.—3.º *Trientes*, seu tertiæ centesimarum, quæ 300 mensibus seu 25 annis adæquant sortem, danturque 4 pro 100, et hæ illustribus personis permittuntur.—4.º *Semisses*, seu ducentesimæ, quæ 200 mensibus seu 16 annis et 8 mensibus æquant sortem, danturque 6 pro 100, et hæ aliis personis permittuntur.—5.º *Quicunces*, seu 5 pro 100, quæ intra 20 annos æquant sortem, fitque earum mentio *lib. 17, princ. ff. et lib. 5. C. h. t. Jam*

R. In Germania ex asserta recepta consuetudine approbantur usuræ tantum *semisses* et *quicunces*, seu 6 vel 5 pro 100; non vero majores nisi adsit manifestus titulus plus accipiendi: secus creditor in conscientia obligatur ad excessum restituendum. Unde usuræ *centesimæ* tanquam sanguinolentæ, et *bessales* tanquam excessivæ reprobantur, nisi damnum emergens vel lucrum cessans, vel periculum pecuniæ per mare aut terras trajiciendæ tanti æstimetur.

Ceterum, licet sententia de hac asserta consuetudine in Germania recepta existimetur probabilis; quia tamen sensus sæpè homines fallit, ideo ego humanæ prudentiæ non innitendam judico, sed infallibili S. Sedis judicio decidendam relinquo.

In littera encyclica Bened. XIV. *Via pervenit*, 1 Novemb. 1745, ad omnes Italiæ Ordinarios refertur et approbatur, confirmaturque sententia Congregationis speciatim à se deputatæ circa usuras, aliosque injustos quæstus, contenta num. 2. ejusdem litteræ videlicet: *Neque verò ad istam labem (usura) purgandam ullum accessiri præsidium poterit: vel ex eo, quòd id lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit: vel ex eo, quòd is, à quo id lucrum solius causa mutui deponitur, non pauper, sed dives existat; nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstuosis agitandis negotiis utilissimè sit impensus.*»

§. III.

De contractibus usuræ affinibus.

123. Contractus isti sunt: anatocismus, antichresis in pignoribus, cambium, montes pietatis, olla fortunæ, emptio chirographi, contractus societatis, et censualis.

124. Q. I. *An anatocismus et antichresis in pignoribus usuram continent?*